

DE CIRCARIIS GERMANIAE IN GENERE

Tantopere discrepant evolutio historica et indoles singularum tribuum et territoriorum in millia distributorum in hoc imperio, quod cunas dedit fundatori ordinis, ut revera unaquaeque circaria in illo sita suum omnino proprium characterem prae se ferat. Sunt nempe sequentes: Bavaria, Suevia, Vagotia, Ilfeldia, Westfalia, Saxonia, Slavia, partim etiam Bohemia, Burgundia, Frisia et Polonia. Immo et Brabantia et Lotharingia ad tempus ad Imperium pertinuerunt. Vide historiam harum omnium infra suo loco.

Breviter hic dicendum est nobis verbum de eis, quae hae circariae habent commune. Ex septem ecclesiis cathedralibus, ordini nostro incorporatis, tres fuerunt in Germania, et apud illas tantum fere omnes episcopi fuerunt ex ordine, id est, electi e gremio capituli cathedralis regulati. Systema nefastum commendarum in Germania omnino fuit ignotum, impediens principibus. Immo separatio mensarum in abbatialem et conventualem vix alicubi fuit in usu. Derogationem monasteriorum duplicium et suppressionem parthenonum a Capitulo Generali praescriptas tantum illa circaria ad amissim est exsecuta, quae secus de supremo regimine ordinis parum curavit, immo se ab eo separavit, nempe Circaria Saxoniae. In aliis circariis monasteria duplicia floruerunt adhuc per saecula. In quibusdam casibus monasteria duplicia excreverunt non in abbatias virorum ut alibi de more, sed abrogatis canonicis versa sunt in parthenones (Bedburg, Heinsberg et alia) Favente schismate saec. XII, praelati in Germania partim capitula generalia, Praemonstrati celebrata, non iam adierunt. Elanguerunt connexus cum Praemonstrato. Ante partitionem ordinis in circarias exinde orta sunt ligamina amicalia inter canonicas vicinas, seu filiatione seu alio modo coniunctas. Ita Steinfeld fuit centrum quoddam unionis, ad quam pertinuit v. g. Hamburg¹. Talis unio exstitit etiam inter canonicas quasdam Saxoniae et Westfaliae, v. g. Cappenberg Scheda et Quedlinburg. Abbates generales, hoc aegre ferentes, studuerunt omni modo connexum monasteriorum cum Praemonstrato restituere et confortare². Signum huius submissionis saepe fuit introductio tituli abbatialis.

¹ HORSTKÖTTER, Die Anfänge des Präm. Stiftes H. 75.

² Ibidem 121 sq.



In Germania enim omnis praesul ecclesiae cuiusdam canonicae – nulla refert an sit regularis aut saecularis – vocari solebat praepositus, dum titulus abbatialis monachis fuerit reservatus. In Gallia vero et canonici habuerunt abbates. Ideo canonicae nostri ordinis in Germania omnes fuerunt praepositurae, praeter illas quae immediate a Praemonstrato fuerunt fundatae (v. g. Roth, Wadgassen). Reliquae paulatim evectae sunt in abbatias. Saxones autem manserunt praepositi usque in finem.

Speciale quid sunt in Germania abbatiae sic dictae „imperiales“ (Reichs-*abteien*), quae erant quoad dominium civile immediate subditae Caesari. Atqui huius potestas fuit valde tenuis, ita ut principes et minores nobiles, equites et parva oppida in damnum potestatis regiae independentiam plenam sibi arripuerint ac in minusculis suis territoriis potestatem illimitatam, immo altum iudicium (*jus gladii*) exercuerint. Huic evolutioni partim participaverunt et abbatiae, praesertim in Suevia. Ordo noster sequentes habuit abbatias imperiales: Roth, Roggenburg, Schussenried, Weißenau, Ursberg, Obermarchtal, Arnstein, Wadgassen, Cappenberg, Altenberg, usque ad saec. XV etiam Steingaden. Etiam Episcopi Brandenburgenses, Raceburgenses et Havelbergenses fuerunt Principes Sacri Romani Imperii ac habuerunt suum territorium.

Maior pars vero domuum ordinis in Germania suberat potestati alicuius principis, ideo illae omnibus vicissitudinibus politicis et religiosis huius territorii fuerunt expositae. Integrae Circariae saeculo XVI ab haeresi lutherana, quam amplexa est maior pars principum, extinctae sunt. Curiosum est et singulare, quod protestantismus in Germania monasteria et vitam claustralem non penitus ut alibi exstiparvit, sed multis in locis sub moderata forma retinuit. Multa asceteria monialium versa sunt saeculo XVI in coenobia lutherana, ubi virgines nobiles in communi vivunt sub abbatissa pedo insignita, et immo monasteria virorum manserunt tamquam collegia pastorum qui praesertim scholas et seminaria dirigunt, retenta tamen constitutione monastica et dignitate abbatiali. Usque ad saeculum XVIII talia monasteria manutenebant ipsum habitum et officium chori, et floruerunt usque ad nostra tempora. De domibus quondam ordinis nostri illis adnumeranda sunt asceteria Stolp in Pomerania, Cappel in Lippe, Ecclesia cathedralis Brandenburgensis, et celebres canonicae Ilfeldensis et B. M. V. Magdeburgensis.

Saeculo XVI elapso, praeter abbatias imperiales supererant tantum illae domus, quae in territoriis Bavariae, Austriae et principum ecclesiasticorum fuerunt sitae. Anno 1629 Imperator Ferdinandus II. decrevit sic dictum „Edictum Restitutionis“, quo omnes episcopatus et coenobia, a protestantibus ab anno 1552 iniuste ecclesiae alienata, illi essent restituenda. Generatim deinde in executione huius edicti iussu Sanctae Sedis coenobia pristinis suis

Monasticon Praemonstratense, Editio Secunda, 1983

possessoribus reddebantur. In Septentrione nonnullae canonicae solius Circariae Saxoniae erant restitutae, sed ad biennium tantum, quia pugna Luttenensis, Catholicis nefasta, anno 1631 omnia ad irritum fecit. In Hassia, Elector Moguntinus studuit omnia monasteria sibi arripere, non vero ordinibus. In regione ergo Circariarum Ilfeldiae et Vadegotiae minimus et brevis erat successus huius edicti. Tantum in Württemberg (Adelberg) monasteria restoratione sua gaudebant usque ad annum 1648, quo Pax Westphalica edictum illud pro toto Imperio revocavit.

Saecularisatio, quae coepit in Austria anno 1782, consumpsit fere omnia annis 1802/03, et quod in Prussia superfuit, annis 1810–38 suppressum est. Fere ubique ecclesiae harum canonicarum exstinctarum factae sunt dein parochiales – ideo feliciter supersunt sicut et maior pars, immo omnia aedificia claustralia, saltem in meridie. Minus in occidente, ubi sub dominatione gallica multa sunt destructa. Maior pars ecclesiarum et aedificiorum illarum domuum, quae iam saeculo XVI perierant, eversa est.

Tres canonicae in Austria et quinque in Bohemia, quarum una erat linguae germanicae, a generali saecularisatione fuerunt exemptae. Fuerunt vero ad breve tempus dissolutae sub regimine hitlerico. Deinde, anno 1945, omnes sunt restitutae. Dum austriacae floreat usque hodie, coenobia in Cechoslovakia sita, anno 1950 definitive sunt suppressa.

In Germaniam proprie dictam ordo post diuturnum exilium reversus est, et resuscitavit sequentes canonicas: Speinshart 1921, Windberg 1923, et Roth 1948, quae mutata est an. 1959 pro Hamborn. His accedit Schönau (antiquitus OSB), an. 1947 refugium communitatis Teplensis, quae construxit sibi novam domum in Villingen an. 1968. Nuper, annis nempe 1983/84, restaurata est canonica Roggenburgensis. Canonici Tongerloenses fundaverunt communitatem Hamburgi, ubi parochiam administrant, quod etiam intenditur pro civitate Coloniensi. Rothae, a canonicis derelicta, nunc sunt sorores tertii ordinis regularis.

Capitulum Generale anni 1968 erexit Circariam Germanicam, cui praeter canonicas supra allatas et austriacae adnumerantur: Geras, Wilten et Schlägl.

